

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

48. Menstruum lunare Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

curius solis resolvetur in oleum nigrum, quod rectificata per alembicum, primò igne leni, deinde fortiori, tandem fortissimo, ita habebis oleum mercurii solis.

Sed præter mercurium, metallum illud apertum, etiam ex reliquis metallis etiam si magis occlusis hujus generis menstrea confici possunt, cujus exemplum habemus in menstreo lunari Lullii.

48. Menstruum lunare Lullii,

In Experimento XXIV.

R. **M**ercurium vulgi, atque illum lavabis cum aceto, postquam ejus terrestreitas remota fuerit, transeat per corium camuscæ; deinde illum pone in illa tua vasa, quorum formam superius habuisti (sub No. 46.) in istis igitur vasis mercurium constitues, ac destillabis toties, donec totus transeat in aquam, ut superius te docui. Deinde accipe uncias quatuor hujus aquæ mercurialis, & in ea dissolve unciam unam mercurii vegetabilis secundi experimenti (*salis tartari sublimati, sive salis harmoniaci vegetabilis ex sale tartari confecti*) fac ut transeat per alembicum simul cum prædicta aqua mercuriali, postea in quaternis quibusque uncis aquæ, fac ut dissolvas singulas uncias mercurii, ut supra, præparati (*vegetabilis*) pone in putrefactione per octo dies, deinde destillabis per cineres, ultimò ignem augebis; ita ut transeat in id, quod destillatum fuerit, in quo solve mediam unciam argenti cupellati, deinde putrefac per tres dies, postea destilla per cineres, ultimò augebis ignem aliquantulum, ut per aëream resolutionem tota claritas transeat, vel albedo ipsius lunæ in hac tali destillatione.

Non totum argentum, sed ejus partem volatiliorem in salium harmoniacorum confectionibus, (spiritum animatum dictam) extrahit menstreo trium vasorum sub No. 26. jam descripto, cum ejus descriptione ibidem elucidatâ, quæ in Recepto præsentis obscuriora sunt, illustrare potes. Aliquando spiritum animatum lunæ, & spiritum animatum solis invicem conjungit & circulando redigit in menstruum admirabile, hoc modo.

Cir.